

de quibus loquitur Bened. XIV (Litteris 19 Martii 1752), facilius mobilia quam immobilia retineri posse vel haberi tamquam propria, ex praesumpta voluntate domini qui reperiri non posset, ut advertit Lehm. (l. n. 1041) Vix tamen verificabitur ista hypothesis de bonis ecclesiasticis. Sed mobilia facilius quam immobilia bona fide possideri et praescribi poterunt.

CAPUT VI.

DE RESTITUTIONIBUS QUIBUSDAM IN SPECIE.

§ I. DE LAESIONE IN BONIS SPIRITUALIBUS.

560. I. Spiritualia hic intelleguntur non tantum bona *supernaturalia* vel animae saluti conducentia, sed et *naturalia*, ex. gr. usus liberi arbitrii, scientia. Dubium non est quin, etiam in hujusmodi rebus, gravis injuria fieri possit ac proinde restituendum sit, dummodo restitutio sit possibilis. Hinc :

1° Qui alium veneno vel potione privaret usu rationis, peccaret graviter contra justitiam. Ideo, damno illato, teneretur remedia idonea, si qua forent, suppeditare quibus rationis usus recuperaretur, insuper omnia damna inde secuta et saltem in confuso praevisa reparare. (Lugo, disp. 9. n. 1)

3° Qui alium per fraudem in errorem practicum induxit, ex quo aliud malum praeter errorem sequi possit, tenetur ad auferendum errorem et ad compensanda omnia damna quae ex eo secuta sint, sive decepto, sive tertio, nisi forent extraordinaria et quae nullatenus praevideri possent.

3° In erroribus speculativis obtrudendis generatim non nisi levis injuria committitur : quia malum illud intellectuale per se parvi momenti est. Attamen gravis injuria fieret, si error ille versaretur circa principalia et gravia fidei dogmata, vel si quis, praeceptoris officium exercens, errores tot vel tam fundamentales doceret ut discipulorum error pejor esset quam praecedens eorum incertitia : in utroque enim casu grave detrimentum deceptis inferretur. (Lugo, l. c. n. 5 seqq.)

4° Si quis alium per vim, dolum aut fraudem ad peccandum induxit, tenetur ad restituendum, nempe ad auferendam vim, dolum vel fraudem et ad compensanda damna; si vero induxit alia ratione, ad restituendum

non tenetur, nisi peccatum ad quod induxit justitiae commutativae adversetur, ex. gr. furtum, detractio. Ratio discriminis est quod, in priore casu, violatur jus strictum alterius ne vi, dolo vel fraude aliquid malum ei inferatur; in posteriore autem, valet axioma : Scienti et volenti non fit injuria. Ultima exceptio, de inducente ad peccatum contra justitiam commutativam, patet ex iis quae de consulente dicta sunt. (n. 537)

5° Si is qui per metum vel fraudem ad peccandum inductus est, invincibiliter ignorat peccatum a se commissum vel remedium ad recuperandam gratiam, ideoque de remedio contra peccatum non curat, is qui eum ad peccandum induxit ex justitia tenetur ad ostendendum illi remedium vel remedii necessitatem : haud secus ac qui venenum alteri praebuit, ex justitia obligatur ad antidotum praebendum. Sed obligatio justitiae corrumpit ex quo inductus ad peccandum novit et peccatum quod fecit et remedium quod adhibere potest : ipse enim hanc obligationem relaxat, dum non vult se liberare cum possit. Maneret tamen restituendi obligatio quoad alia mala temporalia vel spiritualia quae e tali peccato promanassent, puta si fraude ad peccandum inductus propterea expulsus esset e collegio vel famulatu in quo versabatur. (Lugo, l. c. n. 13)

561. II. Regula generalis est, in hac et sequentibus laesionum speciebus attendenda : probabilius non esse obligationem compensandi bona unius ordinis per bona alterius ordinis, puta vitam vel famam ablatam per pecuniam vel subsidia spiritualia. Ratio autem est, quia justitia commutativa pro formali objecto habet aequalitatem : quare, ubi aequalitas poni nequit, non habet locum obligatio strictae justitiae. Jamvero liquet nullam aequalitatem poni posse inter bona diversi ordinis, puta inter vitam hominis et pecuniam. Nec juvat ratio quam quidam AA. pro contraria sententia afferunt : justitiam poscere ut, ubi plena compensatio fieri nequit, saltem imperfecte et ex parte fiat. Nam restitutio ad hoc tendit ut nemo habeat e bonis suis minus quam habere debeat. Jamvero, si fieret compensatio per bona alius ordinis, ex. gr. famae per pecuniam, is qui laesus est semper pergeret totaliter carere re sua, ex. gr. fama qua injuste spoliatus est. (Lugo, disp. 11. n. 10; S. Alph. n. 627.)

Attamen aequitati naturali prorsus consonum est ut, qui alios in bonis unius ordinis laeserunt, a iudice damnentur ut damnum bonis alius ordinis compensent, puta detrimentum famae per pecuniam, cum perfectior reparatio saepe sit impossibilis : quare haec sententia, nisi naturalis aequitatis et consuetudinis limites excedat, in conscientia

obligat. (1) Licet etiam juri, quod laeso competit ad hanc judicialem reparationem obtinendam, pro certa pecuniae summa renuntiare. (Gury, I. n. 628)

§ 2. DE LAESIONE IN BONIS FAMAE ET HONORIS.

562. I. Cum unusquisque jus strictum ad famam suam habeat, patet tum detractorem, tum calumniatorem teneri ad eam restituendam; insuper etiam ad reparanda alia damna e detractone vel calumnia secuta et saltem in confuso praevisa, puta amissionem muneris vel hereditatis. Supponuntur tamen adesse condiciones supra (n. 512) explicatae.

Si quis ex imprudentia seu sine gravi culpa theologica detraxerit vel calumniatus fuerit, is tenetur quidem ex justitia damnum oriturum impedire, non autem cum tanto incommodo ac si culpabiliter illud intulisset. Cfr. n. 513. Nullatenus autem ad restituendum obligatur qui de uno crimen narravit quod audientes de alio intellexere: siquidem damni causa fuit error audientium quem ipse tantum ex caritate corrigere debebat.

Restitutio illa famae ablatae facienda est efficaciter: ideo qui detraxit alteri per libellum famosum vel ephemerides, tenetur similibus mediis famam ejus reparare. Nullam autem, ante sententiam judicis, dari obligationem compensandi famam per alia bona temporalia, constat ex ante dictis. (n. 561)

II. Modus famam restituendi diversus esse debebit, ut per se patet, prout crimen verum injuste vulgatum vel falsum confictum erit. Quando *calumnia* impacta fuit, haec aperte retractanda est. Attamen si finis sufficienter obtineri potest, licet propriae famae consulere, dicendo se errasse vel deceptum fuisse; secus, propriae famae jactura facienda est ut innocentis, cujus praevalet jus, fama redintegretur.

Quando *simplex detractio* admissa est, imprimis conandum est ut infamia illata directe auferatur, utendo aliqua amphibologia, dicendo ex. gr. se deceptum esse, intellegendo a diabolo vel propria passione, vel se falsum dixisse, intellegendo id quod non sit verum veritate publica, quae sola in hoc argumento hisque adjunctis dici possit. (Lugo, disp. 15. n. 30)

(1) Non una viget in omnibus regionibus praxis circa reparationem judicialem ei qui calumniam passus est concedendam. Sic in Belgio pro ipsa famae laesione compensationem pecuniariam concedere solent tribunalia (cfr. Code d'Instruct. crim. a. 358); in Hollandia, nulla conceditur compensatio pecuniaria pro famae laesione, sed tantum pro detrimentis secutis in bonis fortunae. (Marres, l. 2. n. 358)

Saepe tamen hujusmodi conatus prorsus irriti essent magisque obfirmarent auditores in sinistra opinione. Tunc recurrendum erit ad medium indirectum, puta ad laudes diffamato, etiam saepius, pro veris ejus dotibus dandas. Fatendum tamen est, ut advertit Ball. P. (n. 336), non raro id vix quidquam profuturum esse ad finem intentum. Sic, si de clerico nefandum crimen revelasti, parum juvabit ad ejus famam resarciendam quod ejus pietatem laudas vel ei honorem exhibes, quem alii etiam simulatum vel e mera civilitate profectum aestimabunt. Manet tamen semper obligatio resarciendi damna in bonis fortunae per detractorem illata.

Tum detractor, tum calumniator per se tenentur ad famam proximi laesam restituendam non tantum apud auditores immediatos, sed etiam apud eos quibus isti calumniam vel detractorem communicaverint, nisi res narrata fuerit tantum sub secreto vel iis personis quae non videbantur eam ultra manifestaturae. Ratio est, quia totum illud damnum e detractone vel calumnia procedit et saltem in confuso praevideatur. Hanc sententiam tamquam veriore sequitur S. Alph. n. 991. Attamen probabile videtur quod addit Lugo (l. c. n. 16): in praxi plerumque sufficere ut apud *immediatos* auditores reparatio fiat, tum quia solet moraliter impossibilis esse reparatio apud mediatos, tum quia eo ipso quod apud immediatos falsitas vel injuria detegitur, implicite illis committitur ut ipsi hanc retractationem apud eos quibus rem communicaverint, divulgent. Quodsi in aliquo casu constaret illos hanc commissionem noluisse acceptare, vel ratio esset prudenter dubitandi num eam acceptassent, primus detractor teneretur ad famam laesam etiam apud auditores mediatos reparandam, quatenus id fieri posset. Hoc igitur faciendum, si constat immediatos nihil retractasse vel existimasse rem, utpote publicam, licite aliis manifestari potuisse.

563. III. Causae excusantes a famae restitutione sunt praecipue sequentes:

1° Si infamia reapse secuta non est, quia auditores detrahenti non crediderunt vel rem non intellexerunt.

2° Si infamia jam sublata est, quia vel aliunde jam constitit auditoribus calumniae falsitas vel iidem detractorem omnino immemores sunt. Etiamsi dubitatur de oblivione infamationis, non videtur quis teneri ad patiendum damnum certum per detractorem retractationem ut incertum damnum proximi reparet. (S. Alph. n. 998)

3° Si ille qui infamatus est jam alia via famam in eadem materia amisit, puta quia crimen occultum evasit publicum.

4° Condonatio diffamati expressa, tacita vel rationabiliter praesumpta. Cfr. n. 558. Quodsi diffamatus condonaret quando caritate vel alia

virtute reparationem exigere juberetur, condonatio valida quidem, sed illicita esset : quare diffamator jam non ex justitia, sed ex caritate vel alia virtute famam restaurare deberet. Manifestum est nullam fore condonationem quam faceret diffamatus quoad alios, ex. gr. complices, secum diffamatos. (Lugo, l. c. n. 38)

5° Grave detrimentum quod diffamatori e restitutione imminet : quae causa tamen non excusat nisi quamdiu perstat. Oportet nempe ut hoc detrimentum longe superet illud quod diffamatus e dilatione vel omissione restitutionis passurus sit, vel ut timeatur grave damnum in bonis ordinis superioris. Cfr. n. 557.

6° Si diffamatus et ipse detractoris famam laesit, nec restituere vult : tunc saltem licet restitutionem differre donec alter restituat. Ratio est quod non cogaris jus suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum. Ita S. Alph. (n. 999) contra Lugo. (l. c. n. 44 seqq.)

7° Impotentia physica et moralis, ut si jam reperire nequeas eum cui crimen narrasti, vel certo praevideas auditores retractationi fidem adhibituros non esse.

564. IV. Honori reparando eadem fere applicanda sunt quae modo de restituenda fama statuta sunt. Videlicet :

1° Quod spectat ad *fundamentum obligationis*, dubium non est quin restituendum sit pro infamia quae saepe contumeliam comitatur, ut si alium publice colaphis cecidisti. Immo, etiamsi nulla infamia secuta est, puta quia contumelia occulta fuit, communis sententia tenet restitutionem faciendam esse praecise propter debonationem, quia ex contumelia praeterita, quamdiu contumeliosus non satisfecit, aliquod damnum censetur permanere in eo qui contumelia affectus est. (Lugo, disp. 15. n. 54 seqq.) Aliqui tamen, ut Molina (t. 5. disp. 46. n. 5 seqq.), opinantur eum qui occulte contumeliam intulit teneri tantum ex caritate ad satisfactionem exhibendam ut cum fratre reconcilietur, nisi per accidens e contumelia maneat laesio famae.

2° De *modo* quo honor sit restituendus, generice dici potest : requiri ut, iudicio prudenti, sufficiat ad manifestandam aestimationem internam de dignitate personae offensae, non obstante manifestatione contraria per injuriam exhibita. (Lugo, l. c. n. 57) Nempe requiritur aliqua honoris significatio quae, spectatis personis, adjunctis, consuetudinibus, sufficiat ad reparandum detrimentum illatum. Quod communi et prudenti aestimatione, non autem irrationabili personae laesae exigentia, mensurandum esse liquet.

Ideo qui aliis superiores sunt, ut parentes filiis, heri famulis, etc. raro ad veniam ab inferioribus petendam tenentur : nam, e communi aestimatione, plerumque satis contumeliam a se illatam reparant, dum

peculiare aliquod benevolentiae signum inferioribus exhibent, ex. gr. amice alloquendo vel invisendo.

Aequales autem vel inferiores generatim tenentur ad veniam petendam a persona laesa, nisi haec minori satisfactione, ex. gr. amica allocutione, salutatione qua praeveniatur et similibus, contenta esse velit. Etiam in casu atrocis injuriae, ut si quis virum nobilem publice fuste cecidit, nemo tenetur ad ampliorem satisfactionem : si laesus veniae petitione contentus non est, ad iudicem remitti potest. (Lessius, l. 2. c. 11. n. 145) Attamen Lugo (l. c. n. 57) et S. Alph. (n. 987) aliquid amplius in casu *atrocis* injuriae requiri posse opinantur.

3° *Causae excusantes* eadem fere sunt quae a fama restituenda excusant. Speciatim tamquam causa sufficiens habenda est, quod offensus nova injuria illata acceptam injuriam vindicavit. Ipse enim censetur hanc vindictam pro satisfactione sibi debita acceptare : offensus autem, dum pro hac nova injuria nullam vindictam sumit, videtur eo ipso recognoscere priorem suam culpam et significare aestimationem suam internam de dignitate personae offensae : quod et usus communis comprobatur. (Lugo, l. c. n. 59)

4° Sapienter advertit S. Alph. (n. 988) multoties expedire ut confessarius omittat monere poenitentem, in bona fide existentem, de satisfactione praestanda, quando praevidet poenitentem forte promissurum, sed postea, difficultate deterritum, satisfacturum non esse (ut facile contingit); vel si probabile est periculum ne, in actu satisfactionis, odia inter offensum et offensorem renoventur, etc.

§ 3. DE HOMICIDIO ET MUTILATIONE.

565. E mutilatione vel homicidio nocumentum in triplici bonorum genere inferri potest : in bonis corporalibus, in spiritualibus, in temporalibus.

I. Damna corporalia non sunt probabilius per bona alius generis compensanda, ex principio generali supra (n. 561) posito. Aequum tamen est ut plerumque confessarius aliquid laeso elargiendum in poenitentiam imponat. (S. Alph. n. 627)

II. Damna spiritualia occiso illata, ex. gr. eo quod caruit suffragiis quae testamento jussisset pro se fieri, videntur orationibus et suffragiis, quantum fieri potest, reparanda : haec enim reparatio est in eodem genere cum jure laeso. (Lugo, disp. 11. n. 3)